

Deinde se ex curia domum proripuit. Ibi multa ipse secum volvens, quod neque insidiae consuli procedebant et ab incendio intellegebat urbem vigiliis munitam, optimum factu redens exercitum augere ac, prius quam legiones scriberentur, multa antecapere quae bello usui forent¹¹², nocte intempesta cum paucis in Maniana castra profectus est. Sed Cethego atque Lentulo ceterisque, quorum cognoverat promptam audaciam, mandat, quibus rebus possent, opes factionis confirment, insidias consuli maturent, caedem, incendia aliaque belli facinora parent: sese prope diem cum magno exercitu ad urbem accessurum. Dum haec Romae geruntur, C. Manlius ex suo numero legatos ad Marcium Regem mittit cum mandatis huiuscmodi: ... (XXXII, 1-3).

Ad haec Q. Marcius respondit, si quid ab senatu petere vellent, ab armis discedant, Romanam supplices profisciscantur; ea mansuetudine atque misericordia senatum populi Romani semper fuisse¹¹³, ut nemo umquam ab eo frustra auxilium petiverit. At Catilina ex itinere plerisque consularibus, praeterea optimo cuique¹¹⁴ litteras mittit: Se falsis criminibus circumventum, quoniam factioni inimicorum resistere nequiverit, fortunae cedere, Massiliam in exsilio profici, non quo sibi tanti sceleris conscius esset, sed uti res publica quieta foret neve ex sua contentione seditio oriretur. Ab his longe diversas litteras Q. Catulus in senatu recitavit, quas sibi nomine Catilinae redditas dicebat. (XXXIV, 1-3).

Sed ipse paucos dies conmoratus apud C. Flaminium in agro Arretino, dum vicinitatem antea sollicitatam armis exornat, cum fascibus atque aliis imperii insignibus in castra ad Manlium contendit. Haec ubi Romae comperta sunt, senatus Catilinam et Manlium hostis iudicat, ceterae multitudini diem statuit, ante quam sine fraude liceret ab armis discedere praeter rerum capitalium condemnatis. Praeterea decernit, uti consules dilectum habeant, Antonius cum exercitu Catilinam persequi maturet, Cicero urbi praesidio sit. (XXXVI, 1-3).

Interea plebs coniuratione patefacta, quae primo cupida rerum novarum nimis bello favebat, mutata mente Catilinae consilia exsecrari, Ciceronem ad caelum tollere, veluti ex servitute erupta gaudium atque laetitiam agitabat. Namque alia bellum facinora praedae magis quam detimento fore, incendium vero crudele, immoderatum ac sibi maxime calamitosum putabat, quippe cui omnes copiae in usu cotidiano et cultu corporis erant.

Post eum diem quidam L. Tarquinius ad senatum adductus erat, quem ad Catilinam proficiscentem ex itinere retractum aiebant. Is cum se diceret indicaturum de coniuratione, si fides publica data esset, iussus a consule, quae sciret, edicere, eadem fere, quae Volturcius, de paratis incendiis, de caede bonorum, de itinere hostium senatum docet; praeterea se missum a M. Crasso, qui Catilinae nuntiaret, ne eum Lentulus et Cethegus aliique ex coniuratione deprehensi terrorent eoque magis properaret ad urbem accedere, quo et ceterorum animos reficeret et illi facilius e periculo eriperentur.

Sed ubi Tarquinius Crassum nominavit, hominem nobilem, maximis divitiis, summa potentia, alii rem incredibilem rati, pars, tametsi verum existimabant, tamen, quia in tali tempore tanta vis hominis magis lenienda¹¹⁵ quam exagitanda videbatur, plerique Crasso ex negotiis privatis obnoxii, conclamant indicem falsum esse deque ea re postulant uti referatur. Itaque consulente Cicerone frequens senatus decernit Tarquini indicium falsum videri eumque in vinculis retinendum¹¹⁶ neque amplius potestatem faciendam, nisi de eo indicaret, cuius consilio tantam rem esset mentitus. (XLVIII, 1-6).

112 **Bello usui forent/urbi praesidio sit**, algunas líneas más abajo. Para su traduc., ver Sint., núm. 5, b), pág. 142.

113 **Fuisse/proficiisci**, tres líneas más abajo. Para su traduc., ver nota 111, pág. 92.

114 **Optimo cuique**. Para su traduc., ver Sint. núm. 8, c), pág. 145.

115 **Lenienda... videbatur**. Para su traduc., ver Sint. núm. 16, b), pág. 153.

116 **Retinendum/faciendam**. Para su traduc., ver Sint. núm. 15, b), pág. 152.